

Qui plura de duellis desiderat, legat Pignatelli Tom. 9. Consult. 38. ubi materiam de duellis practice, & theoretice peregre tractat.

TITULUS XV.

De Sagittariis.

SUMMARIUM.

- 1 Sagittariorum, & Balistariorum nomine qui veniant.
- 2 Qualiter, & contra quos prohibita si ars exercitum Sagittariorum, & Balistariorum?

Queritur quid ad propositum intelligatur per Sagittarios? & quid statuatur de illis per Jura? Resp. I. Sagittariorum, & Balistariorum nomine veniunt, qui vel in jaculandis sagittis, aut saxis arcubus & Balistis (quorum usus olim frequens erat) vel (ut hodie usus est) in emittendis glandinibus, & majoris ponderis globis plumbis, ex Tormentis bellicis peritiam habent, ut cum aliis notat Gonzalez in c. m. h. t. n. 3.

2 Resp. II. Quamvis c. un. h. t. artem Sagittariorum, seu Balistariorum contra Catholicos exercere universaliter videatur prohibita, tamen probabiliter, vel prohiberi hic duntaxat artem hanc exercere pro infidelibus aut Hæreticis contra Catholicos conformiter c. ita quorundam G. Eccl. Quod olim. 12. de Judæis: & Extravag. 1. eod. vel prohiberi eandem etiam pro Catholicis contra Catholicos in bello injusto, uti post Glossam in cit. c. un. h. t. y. Artem. ibidem bene docent Barbosa, Honorius, & alii: Ex illa ratione, quod nil referat ad justitiam, utrum justum bellum contra quemcumque gerens, aperte pugnet, an ex insidiis, can. Dominus 2. cau. 23. quest. 2. ibi: Cum autem justum bellum susceperit, utrum aperta pugna, utrum insidiis veniat, nihil ad justitiam refert. Dummodò Sagittarii, vel Balistarii in exercitu non adhibeant incantationes, superstitiones vel alias diabolicas artes ad certius, vel fortius, aut longius nocendum hosti &c. quod præcipue prohiberi putat Barbosa h. t. n. 2.

TITULUS XVI.

De Adulteris, & Stupro.

I Ratio Ordinis.

Post Crimina quinto præcepto Decalogi adversa, diversa videlicet homicidia, & alia, quibus vita, & corpus proximi læditur, Compiler Canonum recto ordine pergit ad delicta sexto præcepto contraria, quibus pudicitia læditur. Et quamvis Rubrica de duobus solummodò speciebus, Adulterio videlicet, & Stupro sonet; tamen occasione eorundem meritò etiam de aliis speciebus delictorum carnis, Fornicatione videlicet, Incestu, Sacrilegio, Rapta, & vicio contra naturam, seu Sodomitico hic agit.

§. I.

De Adulteris.

SUMMARIUM.

- 1 Adulterium improprie, & proprie dictum quid?

- 3 Aliud est simplex.
- 4 Aliud duplex.
- 5 Copula carnalis cum alterius sponsa de presenti Adulterium est.
- 6 Non item cum sponsa de futuro.
- 7 Solvitur Obiectio.
- 8 In lege divina antiqua Adulterium sub pena mortis, & quidem lapidationis fuit prohibitum.
- 9 De Jure Canonico pena Adulteri Laici in Adultorio persistens.
- 10 I. Est excommunicatio.
- 11 II. Pena femine adultera est detrusio in arctum Monasterium.
- 12 III. Pena est divorcium.
- 13 IV. Amissio dotis, & donationis propter nuptias, Clerici adulteri pena que? It duobus mun. seqq.
- 14 De Jure Civili pena Adulteri etiam est mors.
- 15 Que tamen pena in plerisque Provinciis ob Adulterium prima vice non est in usu, sed alia? & que?
- 16 Principes Adultera non puniunt peccant.
- 17 Adulterium conjugati cum soluta de Jure Civili non subjacet pena ordinaria: & quare?
- 18 Pena Adulteri de Jure Bavario.
- 19 Olim pater impure occidere poterat Adulterum cum filia in actu deprehensa.
- 20 Sicut Maritus Adulterum vitis conditionis cum uxore in actu deprehensum.
- 21 Hodie tamen nihil horum licet.
- 22 Adulteri penas non incurrit, qui illud vel non scit, vel non actualiter committit.
- 23 Adulterium uxoris ante omnes Criminaliter accusare potest maritus.
- 24 Est post ipsum pater Adultera, & alii conjuncti.
- 25 His deficientibus etiam quivis contraneus, dummodo mas, & major 25. annis sit.
- 26 Civiliter quoad dotem & divorcium uxoris etiam accusare potest virum Adulterum; non item Criminaliter, loquendo de Jure Civili.
- 27 Secus est de Jure Canonico.
- 28 Quamvis de criminibus requiratur plena probatio; tamen in Adulterio sufficit habita probatio per præsumptiones.
- 29 Violentia.
- 30 Enumerantur similes præsumptiones violentie usque ad num. 38.
- 31 Quando contra Adulterium agitur Civiliter ad divorcium seu separationem quoad cohabitationem & thorum, solus Ecclesiasticus est Judex.
- 32 Qui etiam de causa Dotis, & Donationis propter nuptias, atque alimentorum, si in causam Adulteri principaliter agitata indicat, judicare potest.
- 33 Si contra Adulterium agitur Criminaliter ad penam sanguinis, solus Laicus Judex est.
- 34 Si ad aliquam penam Criminaliter agitur; mixti Fori est.
- 35 Episcopus circa cuncta scelera Judex est. Ibid.

Queritur I. Quid, & quotuplex sit Adulterium? Resp. I. Quamvis Adulterium large loquendo sit omnis copula extra statum Conjugii habita, can. Nemo. 5. cau. 32. q. 4. ac propterea ibidem, sicut & à Lege Julia Adulterium, & Stuprum promiscue sumantur l. Inter stuprum 105. ff. de V. S. cum Concordantiis. Tamen proprie, & ad propositum loquendo Adulterium est alieni thori violentio, ut dicitur can. Lexilla 2. cau. 36. q. 1. seu est carnalis ad alteram personam vi conjugii non suam accessio, & conjunctio, quæ fides & thorus conjugalis violatur.

Resp.

Resp. II. Adulterium proprie dictum dividitur in simplex, & duplex. Simplex est, & dicitur, non solum, quando solutus cum conjugata, sed etiam quando conjugatus cum soluta carnaliter miscetur, cau. cum ergo. post can. Illa. 14. cau. 32. q. 5. & can. Puto. 16. ead. cau. & q. can. Non mechaberis. cau. 32. q. 6. Ratio est; quia vir requæ ac uxor ad fidem conjugalem astringitur can. Nemo. cau. 32. q. 4. indeque vir meretrici adherens non minus fidem & thorum conjugalem violat, ac uxor peccans cum non suo; quamvis Jus Civile aliud velit, & quoad penas illius etiamnum servandum sit, per dicens infra num. 18.

4 Adulterium duplex, seu duplicatum, & bilaterale, est, quando maritus cum uxore aliena carnaliter miscetur: quod germanice ein doppelter Ehebruch vocatur, sicuti simplex ein einfacher.

5 Resp. III. Adulterium quoque est commixtio carnalis viri cum sponsa aliena de presenti, non item cum sponsa de futuro. Prima pars communis est & certa ob rationem; quod sponsa de presenti etiam ante Matrimonium conluminationem sit vera uxor; cum nuptias non concubitus, sed consensus faciat, l. Nuptias. 30. ff. de Reg. Jur.

6 Secundam partem tenet Clarus y. Adulterium n. 9. Zoelius in Comment. ff. ad Leg. Jul. de Adult. Sanchez lib. 1. de Matrim. disp. 2. n. 8. Covarruvias p. 1. de Spons. cap. 1. n. 8. cum Communiori contra Glossam in c. Quenamodum. 25. y. Sponsam. de Jur. Jur. Abbatem in c. discretionem. de eo. qui cognovit. Ratio est; quia Adulterium est violatio Thori alieni conjugalis; at verò per copulam cum sponsa de futuro non violatur Thorus alterius, hoc ipso, quod ante Matrimonium de presenti contractum sponsus non habeat jus ad Thorum sponsæ. Accedit Juris decilio l. Inter. 6. §. 1. ff. ad Leg. Jul. de Adult. ubi expressè dicitur: Proprie Adulterium in nupta committitur. Nupta autem nondum est sponsa de futuro, ergo.

7 Nec obstat l. furor. 13. §. divi. ff. eod. ubi habetur: Etiam in sponso hoc idem vindicandum, quia nec spem Matrimonii violare permittitur, cum Concordantiis. Resp. enim, in præfatis, & similibus locis verba esse intelligenda de Adulterio non proprie, sed large accepto: ob quod tamen, quia vera injuria illata est sponso jus ad sponsam ob præcedentia sponsalia habenti, datur eidem vera actio, l. Etiam 15. §. Sponsam quoque ff. de Injuriis.

8 Queritur II. Qualiter, & sub quibus penis prohibita sit Adulterium? Resp. I. Adulterium tanquam gravissimum crimen, & peccatum mortale Jure Divino & humano, eoque tam Civili, quam Ecclesiastico gravissimè, gravissimisque penis est prohibitum. Nam Jure divino veteris Testamenti pena Adulteri fuit mors: uti patet ex Levit. cap. 20. v. 10. ibi: Si mechatus quis fuerit cum uxore alterius, & Adulterium perpetraverit cum uxore proximi sui, morte moriantur & Maritus, & Adultera: idem habetur Deuteron. cap. 22. v. 22. ibi: Si dormierit vir cum uxore alterius, uterque morietur, id est, tam adulter, quam adultera; & auferes malum de Israel: Et quidem per lapidationem, prout constat Joan. cap. 8. v. 5.

9 Resp. II. Jure humano Ecclesiastico diversæ penis sunt statutz contra Adulterantes. Et quidem I. Laicorum in Adulterio persistentium pena est excommunicatio non tamen læta, sed ferenda sententia, c. Intelleximus. 6. h. t. & ibi Doctores.

10 II. Pena femine adultera est detrusio in arctum Monasterium ad agendas ibi penitentiam perpetuam, si maritus eam amplius recipere non vult, c. Gaudeamus. 19. de Convers. conjug. quæ tenentur Jus Can. Tom. V.

men pena hodie non amplius est in usu, & relinquuntur Laici criminaliter, & publicè puniendi Curia seculari.

III. Civilis tamen, & privata Adulteriorum pena est divorcium, seu separatio à thoro & cohabitatione, de qua latè egimus Lib. IV. Tit. XIX. de Divortis. §. III. ubi vide.

IV. Pena est amissio Dotis in Adultera, & 12 amissio donationis propter nuptias in Adultera, de qua pena etiam latè egimus cit. Lib. IV. Tit. XX. §. III. à num. 95. ubi vide.

Clericorum adulterorum pena est, quod si quis 13 de crimine Adulteri confessus, vel convictus fuerit, ab Officio & Beneficio deponendus sit, & inseritur in Monasterium ad agendas penitentiam detrudendus, can. Si quis. 20. dist. 81. ibi: Si quis Clericus adulterasse, aut confessus, aut convictus fuerit, depositus ab Officio in Monasterium toto vite sue tempore detrudatur. Concordat can. Romanus. 11. ead. dist. ibi: Depositus à Clericatus ordine.

Quod si verò nec confessus, nec convictus, 14 sed tantum suspectus & diffamatus sit de Adulterio, purgatio Canonica ei indicenda est, qua si deficiat, ab Officio suspenditur, arg. c. Significasti. 5. h. t. & ibi Doctores, atque Fatnac. praxi Criminal. p. 5. q. 40.

Notat insuper Molina loc. cit. Clarus v. Adulter. 15 rium. n. 7. Covarruvias in 4. p. 2. cap. 7. n. 19. Quod si Clericus non accusetur de Adulterio, aliquid de rigore remittere possit.

Resp. III. Jure Civili primitus statuta erat 16 na deportationis vel exilii, l. Si quis. 5. ff. de Questio. postea verò per Constantinum conformiter legi Divina supra num. 8. citata, in Adultero decreta fuit pena gladii, l. Quamvis. 30. §. 1. C. ad Leg. Jul. de Adult. quam penam in foeminas & viros, sive simplex, sive duplex verum Adulterium committentes indistinctè confirmavit Carolus V. in Constitut. penal. art. 102.

Notant tamen Doctores, & docet experientia 17 hic penam mortis ob Adulterium simplex, imò etiam duplicatum saltem prima vice in plerisque Provinciis non amplius infligi, sed loco illius Adulteros prima vice puniri vel relegatione, seu exilio, vel fustigatione, vel statione ante fores templi cum candela accensa per aliquos dies Festivos, in quibus est major concursus populi, vel pena pecuniaria, vel alia arbitraria. Clarus §. Adulterium. n. 7. ubi ad finem docet, quod Adultera his temporibus debite non puniantur; & addit: Ego semper fui in hac sententia, quod Principes hujus temporis, qui hoc gravissimum crimen severissimis legibus non coercent, illasque exequi non faciunt, gravissimè peccant. Et judicio meo iste est unus ex castibus, in quibus Christiana Respublica indiget reformatione. Hec Clarus & merito.

Notandum insuper tamen, quod, etsi de Jure 18 Civili juxta dicta n. 3. etiam Adulterium sit, si conjugatus cum soluta carnaliter commiscetur; tamen hæc carnalis commixtio ordinariæ penæ Adulteri à Jure Civili statuta non subjaceat: eò quod, licet Jus Civile subjaceat correctioni Juris Canonici declarantis etiam copulam carnalem conjugati cum soluta esse Adulterium contra tenorem l. Inter Liberas. 6. §. 1. ad Leg. Jul. de Adult. tamen eidem Juri quoad penas non præjudicat. Cæterum cur Jus Civile Adulterium conjugati cum soluta pro Adultero minus proprio habeat, indeque minus puniat; Ratio est; quia hoc Jus in Adulterio principaliter respicit, & punit feminis commixtionem, & inde subsequentem prolis legitimi hæreditatis incertitudinem, dum præter virum legitimum alienus live conjugatus, sive solutus cum uxore carnaliter commiscetur.

Z 2

que



- 45 Aliud violentum, aliud voluntarium.
- 46 Stuprum violentum, sicut & dolo, aut metu iniusto obtentum, etiam iustitiae adversatur.
- 47 Pena Stupri non violenti.
- 48 Pena Stupri violenti: Et num. seq.
- 50 Vi stuprata nec panam, nec maculam contrahit.
- 51 Pena Stupri Jure Canonico determinata: Remissiva.
- 52 Pena Clerici Stuprum committentis.
- 53 Praesertim violentum.

**Q**ueritur I. Quid, & quotuplex sit Stuprum? Ante responsum notandum, stuprum late & improprie sumptum, esse & dici omnem illicitam copulam, seu concubium sive cum maledo, sive cum femina, sive cum virgine, sive cum vidua, sive cum soluta, sive conjugata, L. Stuprum ff. Ad Leg. Jul. de Adult. L. Stuprum 101. prius ff. de V. S. Item lex. 4. Instit. de public. Judic. Verum in hoc sensu non agimus hic de Stupro, sed de illo proprie tali. Hinc

Resp. I. Stuprum proprie & stricte acceptum, est virginis nondum corruptae illicita defloratio seu corruptio. Ita in re communis arg. can. Lex illa. 2. §. Cum ergo. cau. 36. q. 1.

Resp. II. Stuprum proprie acceptum aliud est violentum, aliud non violentum. Illud est, quo virgo invita per vim opprimitur & defloratur; quod propriissime Stuprum est. Illud vero est, quo virgo volens, aut consentiens illiciti defloratur; idque dupliciter, ita ut vel plene libere ad illud consentiat, vel per dolum & fraudem, aut metum iniuste incussum ad illud inducatur.

Stuprum violentum, sicut & illud, quod per dolum & fraudem, vel metum iniuste incussum, illatum est, praeter malitiam castitati contrariam, continet etiam malitiam iniustitiae, in Confessione specialiter exprimentam. Illud vero, quod virgini sine dolo & fraude, aut iniusto metu, libere consentienti inferitur, soli castitati, non item iustitiae adversatur, adeoque unicum tantum simplex peccatum continet, prout cum Lessio lib. 2. de I. & I. cap. 10. dub. 1. Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 14. a n. 5. communiter tenent, & deducunt Theologi, apud quos vide.

**Q**ueritur II. Quas penas tam de Jure Civili, quam Canonico inducat Stuprum? Resp. I. Si quis vilioris conditionis existens, Stuprum sine vi committit, fustigatione una cum relegatione; Stuprator vero melioris conditionis existens publicatione dimidiae partis honorum punitur, §. Item lex. 4. V. Panam. Instit. de Public. Judic.

Stuprum autem violentum non tantum virginis, sed etiam honestae viduae, aut maritatae, pena capitis pleclitur. Clarus §. Stuprum. n. 3. ad finem. Farinacius Praxi Criminali. q. 147. n. 6. Glossa in c. 2. h. 2. §. Plebendus, & ibi Abbas n. 5. l. 1. §. fin. ff. de Extraordi. Crimin. & Constitut. Criminali. Caroli V. art. 119. ubi Stuprator violentus poenae capitis subijcitur, si Stuprata fuerit sine verberatione Ehe Frau, Wittib, oder Jungfrau, id est, bonae famae conjugata, vel vidua, vel virgo.

Ex quo nonnulli inferunt, poenae mortis non subjacere, qui meretricem opprimit.

Porro per vim Stuprum passa nec poenam, nec ullam infamiae maculam incurrit, l. Si uxor. 13. §. Si quis. 7. ff. de Leg. Jul. de Adult. & l. Feditissimum. 20. c. eod.

Resp. II. De Jure Canonico poena Stupratoris Laici est, quod debeat docere, vel ducere Stupratam, & alimentare prolem inde secutam: ubi tamen differentia est de Stupratore cum & sine promissione

Matrimonii, prout de hac Stupratoris poena Jure Canonico statuta late diximus Lib. IV. Tit. I. §. IV. a n. 70. ubi vide, ne fiat superflua repetitio.

Resp. III. Clericus Stuprator praeter dotationem §. 2. c. 1. §. 2. h. 1. debitam, jubetur deponi. Clarus §. Adulterium n. 3. Abbas in c. 1. h. 1. n. 4. §. in c. At si Clerici. 4. de Judic. mun. 35. Farinac. Praxi Criminali. q. 147. n. 62. Pishing h. 1. nu. 43. & tunc Claro Communis omnium, arg. can. Presbyter, aut Diaconus. 12. & can. Si quis Episcopus. 13. dist. 81. cum concordantiis. Menochius tamen de Arbitr. Judic. casu 288. n. 6. Farinac. loc. cit. n. 65. Valentinus h. 1. §. 2. n. 2. & alii putant, poenam Stupratori Clerico esse arbitrio Judicis imponendam, ita ut quandoque poena pecuniaria, vel carceris, quandoque poena Suspensionis, depositionis, vel privationis Beneficii puniri possit, prout circumstantiae personatum, & delicti suaserint; ita tamen, ut semper etiam praeter Dos puellae vitatae, Concordant ea, quae diximus Lib. III. Tit. II. de Cohabitat. Clerici & mulier, a n. 48. quae omnino vide.

Quod si Clericus per vim stuprat virginem, praesertim praefatas poenas etiam ad carceres perpetuos, qui succedunt poenae mortis, contra Laicos violentos Stupratores Jure Civili statuta, condemnari potest.

§. III.

De aliis vitiis Carnis, Fornicatione videlicet, Concubinato, Incestu, Sacrilegio carnali, & Sodomia.

SUMMARIUM.

- 54 Fornicatio improprie, & proprie talis quid?
- 55 Est coitus cum soluta ab omni vinculo.
- 56 Est gravissimum peccatum etiam contra naturam.
- 57 Poena Fornicationis Laici.
- 58 Poena Clericorum fornicantium; inter quas etiam est privatio Beneficii.
- 59 Solvitur obsequio ex Concilio Tridentino.
- 60 Divesitas poenarum à Jure statuta dat optionem Episcopo. Ibid.
- 61 Concubinitus improprie.
- 62 Et proprie talis quid?
- 63 Poena Concubinitus de Jure Civili.
- 64 Et de Jure Canonico.
- 65 Praesertim contra Clericos Concubinos, aut suspectas mulieres habentes in domo, vel extra.
- 66 Incestus quid?
- 67 Inferitur, quinam Incestum committant?
- 68 Et qui non?
- 69 Incestus est gravius peccatum Adulterio.
- 70 Poena Incestus de Jure Civili quid?
- 71 In aliquibus casibus subijcitur poena Capitis: & quibus?
- 72 Incestuosos contrahentes nuptias poena de Jure Civili.
- 73 Poena Jure Canonico statuta contra Incestum sine.
- 74 Et cum Matrimonio commissum à Laicis.
- 75 Clericus Incestum committens deponitur.
- 76 Sicut & si peccat cum cognata spirituali, vel filia Confessionis.
- 77 Sacrilegium improprie quid?
- 78 Proprie loquendo in ordine ad Forum externum est Coitus cum Moniali.
- 79 Poena Sacrilegium committentis de Jure Civili: Et num. seq.
- 80 Poena contra Sacrilegium Jure Canonico statuta. Et num. seq.

- 82 Sodomia unde dicta?
- 83 Proprie sumpta quid?
- 84 Acquisitio poenis puniri jubetur.
- 85 Et quidem etiam poena mortis, ac concrematione.
- 86 Trahit insuper secum poenam infamiae.
- 87 Et privationem honorum.
- 88 Quas poenas non incurrit Sodomiam improprie dictam committens; peccando cum muliere in va-se proepotero.
- 89 Poena à Jure Canonico statuta contra Sodomitam Laicum.
- 90 Poena contra Sodomitam Clericum: Et num. seq.
- 91 Bulla Pii V. contra Sodomiam exercentes.
- 92 Conditiones quaedam requisita ad ejus obligationem.

**Q**ueritur I. quid? quotuplex? & quante malitiae sit Fornicatio? Ante responsum nota, hic non esse sermonem de Fornicatione late, & improprie tali, in quo sensu quivis illicitus Concubitus carnalis dicitur etiam Fornicatio, sed de Fornicatione proprie dicta: in quo sensu ad questionem Resp. I. Fornicatio est copula carnalis soluti cum soluta jam prius deflorata seu corrupta. Ita in re Communis, & certa, arg. can. Lex illa. 2. cau. 36. q. 1. ibi: Fornicatio autem licet videatur esse illicitus Coitus &c. tamen specialiter in usu duarum, vel meretricum vel concubinarum, hinc per verba jam prius deflorata differt à Stupro proprie dicto.

Intellegitur autem per solutum, & solutam illi, qui non tantum à vinculo Matrimonii, sed etiam consanguinitatis, affinitatis, Ordinis, Religionis, voti, & alterius impedimenti matrimonialis sunt liberi, ita ut abique dispensatione Matrimonium inire possent. Farinacius Praxi Criminali. q. 137. nu. 7. Menochius de Arbitr. Judic. casu 289. n. 1. §. 2. Sylvest. §. Luxuria. q. 1.

Ceterum quod Fornicatio gravissimum sit peccatum mortali definitum habetur in Concilio Viennensi Clement. ad nostrum. 3. de Haeretic. ubi tanquam erronea damnatur sequens Propositio: Actus carnalis, cum ad hoc natura inclinet, peccatum non est, maxime cum tentatur exerceri. Et quidem dictam Fornicationem non tantum contra Jus divinum, & humanum positum, sed etiam contra Jus naturale esse, torrens defendit Theologorum, contra nonnullos volentes, eam tantum esse contra Jus Divinum positum, non item naturale, quorum tamen doctrina damnata est ab Innocentio XI. in sequenti propositione: Tam clarum videtur Fornicationem secusdum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicitur; ut contrarium omnino rationi dissonum videatur. Vide de hoc amplius apud Theologos.

**Q**ueritur II. Quae sint poenae Fornicationis? Resp. I. Quamvis olim de Jure Civili, à poena immunitatis fuerit simplex Fornicatio, l. Si uxor. 13. §. 2. ad Leg. Jul. de Adult. & l. qua adulterium. 29. c. eod. tamen de Jure Canonico laici Fornicatores puniuntur arbitrio Judicis. Quod idem etiam hodie fit in Foro Civili pro diversitate personarum delictorum praxi, consuetudine, & particularibus Statutis locorum.

Resp. II. Poena Clerici fornicantis variae sunt, inter quas pro arbitrio suo aliquem assumere, & etiam ad privationem Beneficii propter unam simplicem fornicationem procedere potest Judex Ecclesiasticus, praesertim si delictum notorium & scandalosum est, prout amplius diximus & probavimus Lib. III. Tit. II. a num. 48. ubi vide.

Nec obstat Concilium Tridentinum Sess. 25. de Reform. cap. 14. ubi bina, vel trina monito requiri

videtur, antequam ad privationem Beneficii deveniatur, Respondetur enim, praefatam repetitam monitionem praeviam ibidem requiri, antequam quis priveretur Beneficio, ex eo, quod suspectum multitem monitus dimittere nolit. Non item si de lapsu carnali seu Fornicatione actualiter praesertim verò notorie jam reus inventus: Tunc enim monito praevia necessaria non est, quomvis pro arbitrio Judicis praemitti possit ante privationem Beneficii; quia ubi non amplius sola suspicio est, sed jam constat de Fornicatione, Concilium Tridentinum ad SS. Canones se remittere videtur: qui cum inter diversas poenas Fornicationis etiam privationem Beneficii ponat, hanc quoque arbitrio suo eligere potest Judex; quia diversitas poenarum à Jure statutarum dat optionem Episcopo c. De casis q. de Offic. de legat. junctà Gloisà §. Certa. Abbas in c. At si Clerici. de Judic. n. 35. §. 36. Farinac. de Delictis Carnis. q. 137. n. 17. & alii.

**Q**ueritur II. Quid? & quotuplex? Quibusque poenis subjectus sit Concubinitus? Concubinitus improprie, & proprie accipitur. Improprie loquendo est conjunctio maris & feminae, inter quos quidem est verum Matrimonium de praesenti, tamen sine instrumentis dotalibus, & aliis solemnitatibus olim ad honestam sustentationem Matrimonii requisitis; can. Alter. cau. 30. q. 5. quo sensu Agar, est vera uxor fuerit Abrahae; tamen quia minor solemnitate quam principalis uxor ducta fuit, concubina vocabatur; prout etiam ex e ratione Concubina vocabantur mulieres, quas praeter principalem uxorem habebant veteres Patriarchae ex dispensatione divina, c. Gaudemus. 8. de Divort. ubi benedixit S. Augustinus lib. de bono conjugii. cap. 9. 13. §. 15. Ambrosius, & alii. In eodem sensu de Concubinitu intelligendi sunt textus, can. Si quis, §. segg. cau. 30. q. 5. ubi Christianus uxor aut Concubina permixta dicitur. Verum de Concubinitu in hoc sensu hic non est sermo, sed de illo proprie tali. Hinc ad Questionem

Resp. I. Concubinitus est, cum quis mulierem solutam domi suae loco uxoris detinet, & cum ea carnale commercium habet. Ita in re communis definit ex l. 1. §. 1. §. segg. ff. de Concubinis. Solum notandum, quod de Jure Canonico Concubinitus sit, non tantum qui domi suae, sed etiam qui extra illam in alio loco retinet hujusmodi solutam mulierem ad commercium carnale, uti cum communi aliorum bene observat Farinacius in Praxi Criminali. q. 138. nu. 3. §. 12. Azorius p. 3. lib. 3. cap. 5. §. 4. & desumitur ex Concilio Trident. Sess. 25. de Ref. Differt Concubinitus à simplici Fornicatione, quod haec per unicum, ille vero per repetitum actum carnalem cum eadem soluta ad hoc retenta fiat. Dixi in Praxi. Canon. §. Concubinitus. n. 1. Farinacius loc. cit. n. 9.

Resp. II. Quamvis olim de Jure Civili Concubinitus à poena immunitatis fuerit, l. in Concubinato. 3. §. 1. ff. de Concubinis. §. l. un. c. eod. tamen hodie etiam in Foro Seculari, & quidem gravius quam simplicem Fornicatio, arbitrio tamen Judicis puniuntur Engel. h. 1. n. 22. Et merito, quia perseverantia in crimine illoque est circumstantia & poenam, & culpam aggravans; Cum tantò graviora sint peccata, quavet diutius infelicem animam detinet alligatam; c. fin. de Consuetud.

Resp. III. De Jure Canonico Concubinitus tanquam Juri naturali, & Divino adversus semper reprobus, & poenis subjectus fuit tam respectu Laicorum, quam Clericorum. can. Audite. 6 dist. 32. can. Nemo. 4. §. can. dicat. 9. cau. 32. q. 4. Et specialiter novissime in Concilio Trident. Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 8. ubi contra Concubinos laicos ita statuitur: Grave peccatum est, homines solutos Concubinas habere; gravissimum vero, & in hujus magni Sacramenti

menii singularem concupiscentiam admittam, uxoratos quoque in hoc damnationis statu uicere, ac uandere eos quandoque domi etiam cum uxoribus alere, & retinere. Quare, si huic tanto malo san. Synodus oportunitis remediis provideat, statuit, huiusmodi Concubinariorum tam solutos, quam uxoratos, cuiuscumque status, dignitatis, & conditionis existant, si postquam ab Ordinario, etiam ex Officio ter admoniti ea de re fuerint, Concubinas non egerint, sequi ab eorum consuetudine non se iunxerint, Excommunicatione feriendos esse, a qua non absoluantur, donec re ipsa admonitioni facte paruerint. Quod si in concubinato per annum censuris neglectis permanserint; contra eos per Ordinarios seuerè pro qualitate criminis procedatur, mulieres, siue conjugate, siue solutæ, que cum Adulteris, seu concubinariis publice uiuunt, si ter admoniti non paruerint, ab Ordinariis locorum nullo etiam requirente, ex Officio grauiter pro modo culpe puniantur; & extra oppidum, uel Diocesim, si id eisdem Ordinariis uidebitur, inuocato, si opus fuerit, brachio seculari, eiciantur: alii penis, contra Adulteros, & Concubinariorum inflicti, in suo robore permanentibus.

64. Resp. IV. Specialissime autem, specialibusque sub penis prohibitus est Clericus Concubinariorum, & omnis alia suspecta conuersio cum altero sexu; de quibus penis, uti & de modo procedendi contra Clericos Concubinariorum, & suspectas mulieres habentes, ex professo diximus Lib. III. Tit. II. §. II. per totum, ubi uide.

65. Queritur IV. Quid? quibusque penis subiectus sit Incestus? Resp. I. Incestus est copula carnalis inter personas consanguineas, uel affines in eo gradu, in quo vi Juris Divini, uel humani non ualent inter se Matrimonium contrahere, can. Lex illa. 2. §. Cuius ergo, cau. 36. q. 1. ibi: Incestus dicitur, qui consanguineis, & affinis abutuntur.

66. Inferitur primo: Inter ascendentes, & descendentes omnes in linea recta semper committi Incestum. Inter laterales autem consanguineos usque ad quartum gradum. Inter affines ex copula licita, seu matrimoniali pariter usque ad quartum gradum. Inter affines uero ex copula illicita usque ad secundum duntaxat gradum; quia inter hos solummodo, non autem inter remotiores consanguineos & affines ueratur impedimentum Matrimonii; prout patet ex Lib. IV. Decretalium.

67. Inferitur secundò: Non committere Incestum primum, qui peccat cum consanguinea, uel affine ex Matrimonio in quinto gradu. Secundò, qui fornicatur cum duabus consanguineis tertio gradu conjunctis. Tertio, qui peccat cum consanguinea sponse de presenti nondum carnaliter cognite; quia nondum contrahit affinitatem cum tali consanguinea. Quarta, qui peccat cum cognata legali, uel spirituali; quia inter solos consanguineos uel affines, non item conjunctos per adoptionem, confirmationem, uel Baptismum Incestus proprie dicitur oritur. Clarus Incestus n. 4. Farin. Praxi Criminali. q. 149. nu. 50. arg. cit. can. Lex illa. 2. cau. 36. q. 1.

68. Resp. II. Incestus (quod uel sine Matrimonio, uel cum Matrimonio, incestuosas uidelicet contrahendo nuptias fieri potest) non est minus, sed grauius crimen Adulterio, can. Adulterii. 11. cau. 32. q. 7. ibi: Adulterii malum uincit fornicationem, uincitur autem ab Incestu. Pejus enim est cum matre, quam cum aliena uixore concubere, iuncta l. Adulterium 38. §. 3. ff. ad Leg. Jul. de Adulter. Prefertim si inter ascendentes & descendentes in linea recta committitur, quod ipsa etiam bruta animalia aduersantur, te Plinio Histor. natur. lib. 8. cap. 42.

69. Resp. III. Quamvis de Jure Civili pro Incestu simpliciter, & sine Matrimonio, commissio nulla certa pena reperitur determinata, sed uel eadem, quã Ad-

ulterium, iubeatur castigari, l. Miles. 11. §. 1. & l. Si adulterium. 38. ff. de Adulterio. 38. ff. ad Leg. Jul. de Adulter. uel committitur arbitrio Iudicis pro uarietate circumstantiarum, si Incestus committatur inter eos consanguineos uel affines, qui solo Jure humano habent impedimentum Matrimonii, utpote Zoelium ff. ad cit. Leg. Jul. de Adulter. aduersus Paching. h. t. n. 65.

Nihilominus in Foro seculari Incestus sine Matrimonio poenam mortis incurrunt in sequentibus casibus. Primo, si committitur Incestus inter ascendentes & descendentes, quorum coitus etiam nefarius dici solet, arg. l. si Adulterii. 38. §. 2. ff. ad Leg. Jul. de Adulter. & ibi Glossa & Gentium. Farin. cit. q. 149. n. 14. & 16. Menochius de Arbitr. jud. cau. 501. a. n. 1. Bajard. ad Clarum §. Incestus. n. 3. Hostiensis in Symma. h. t. n. 12. Paching. h. t. n. 65. Secundo, si committitur inter collaterales in primo gradu, Fratrem u. g. & sororem. Menochius loc. cit. a. 14. Haunoldus de l. & l. Tom. 6. tr. 2. n. 347. & habet praxi plurimum Provincialium, quomvis nonnullæ Provincie tales uirgines cælos, perpetuã relegatione puniant rebe Carzouio Praxi Criminali. q. 73. a. n. 11. Berlich. Praxi. p. q. concl. 33. numer. 5. & 12. Tertio, quando cum Incestu conjunctum est adulterium. Clarus §. Incestus. n. 2. Haunoldus loc. cit. n. 345.

Resp. IV. Incestus cum Matrimonio, seu scienter incestuosum contrahentes Matrimonium, penas incurrunt statutas, Authenti. Incestus C. ad leg. Jul. de Incest. Nept. ibi: Incestas nuptias contrahentes pena est confiscatio bonorum tam ceterorum, quam dotis: Exilium etiam, & cinguli (si quo utitur) spoliatio, uerberatio quoque, si uillis est; summa quoque talia scienter peccante, simili pena subijungenda &c.

Resp. V. de Jure Canonico Laici Incestum simpliciter sine Matrimonio committentes iubentur excommunicari, can. de iis, qui incesti. cau. 35. q. 2. Coniux insuper Incestum committens cum consanguinea conjugis priuatur iure petendi debitum conjugale, c. 1. & c. Transmissa, de eo, qui cognouit consanguineam uxoris, & post mortem conjugis prohibetur ulterius nubere, cit. c. 1. eod. que tamen ultima pena consuetudine abrogata uidetur.

Si uero incestus cum Matrimonio, seu incestuosus contrahendo nuptias committitur, incestuosus ipso facto sunt excommunicati, Clem. in de Consangu. & Affinitat. & non possunt amplius cum alia persona Matrimonium licite contrahere, nisi ignoranter contraxerint, can. si fornicquam. 4. cau. 35. q. 2.

Resp. VI. Clericus Incestum committens deponitur, & Beneficio priuatur. Farinacius Praxi Criminali. q. 149. nu. 35. Clerus §. Incestus. Diaz Praxi Criminali. cau. 57. Incestus. cap. 88. n. 3. Paching. h. t. nu. 66. arg. can. Si quis. 10. & seq. dist. 81. ubi Clericus adulterium committens deponi iubetur; ergo etiam Incestum committens: Tum quia Incestus maior est delictum, quam Adulterium, cit. can. Si Adulterium 11. cau. 32. q. 7. Tum quia Incestus saltem tanta, si non maiori pena castigatur, quam Adulterium, per Jura noua. 69. citata.

Porrò licet iuxta dicta noua. 67. peccatum carnale cum cognata spirituali commissum, uerus Incestus non sit, nec penas illius inducat; tamen si Sacerdos peccat cum filia spirituali, quã in Baptismo leuauit, uel quam tenuit in confirmatione, uel si comatrem, siue illius matrem cognoscit, deponendus est: Sicuti & qui filium spirituales Confessionis carnaliter cognoscit. Menochius de Arbitr. casu. 502. nu. 27. & seq. Farinacius loc. cit. nu. 53. & seq. Diaz. lo. cit. cap. 86. n. 2. & 4. arg. cau. Omnes

Omnes. 8. & can. Si quis. 9. cau. 30. quest. 1. ibi: Si quis Sacerdos cum filia spirituali fornicatus fuerit, sciat, se grave adulterium commississe &c. Idcirco qui malum exemplum delicti hominibus, ab omni officio deponatur &c. & ad Monasterium uadat, ibique cunctis diebus uita sue Deo seruiat. item can. Non debet. 10. ead. cau. & quest. 1. ibi: Non debet Episcopus aut Presbyter commiseri cum mulieribus, que ei sua fuerint confessa peccata: si forte (quod absit) hoc contigerit, sic paniteat, quomodo de filia spirituali: de qua statim supra.

76. Queritur V. Quid sit? & quibus penis subiacet Sacrilegium? Resp. I. Loquendo pro Foro interno, & Sacramentali, est omnis coitus cum persona Deo dicata per uotum continentie siue simplex, siue solenne, u. Professio Religionis, aut Sacri Ordinis factum, aded, ut tantum Clericus, uel Religiosus, sed etiam Laicus uoto simplici castitatis obstrictus, carnaliter peccans committit Sacrilegium; sicut & Laicus a uoto liber peccans cum soluta aliqua uoto simplici castitatis obstricta, ut proin hæc circumstantia, tanquam speciem mutans, necessariò explicari debeat in Confessionali. Prout habet communis Theologorum, apud quos uide.

77. Resp. II. Loquendo pro Foro externo & contentioso, ac in ordine ad penas intendendas, Sacrilegium est copula carnalis a Clerico, uel Laico commissa cum Moniali, Clarus §. Fornicatio, Farinacius Praxi Criminali. q. 145. nu. 5. Paching. h. t. n. 68. & plures alii à Farinacio relati, per Jura noua. sequuntur, citanda.

78. Resp. III. De Jure Civili si quis Sacrilegium cum Moniali committit, uel Matrimonium cum ea contrahere attentauerit, pena mortis punitur, & bona delinquentis iubentur applicari Monasterio, in quo Monialis degebat. Menoch. de Arbitr. Jud. casu 389. n. 27. Barbosa in c. sic. 2. de Priuileg. n. 3. Nouell. 123. cap. 43. & l. Si quis §. C. de Episc. & Cleric. concordat can. Si quis rapuerit. 30. cau. 27. q. 1. & can. Si quis non dicit. 3. cau. 39. q. 2.

79. Notat tamen Farinacius cit. q. 146. n. 11. quòd, etsi pena capituli adhuc procedat contra Sacrilegium cum Moniali, tamen bona illius non Monasterio Monialis, sed delinquentis hereditibus applicari consueuerint, iuncta Authenti. Bona damnatorum. C. de bonis proscriptis. nisi raptus, aut uolentia in Monialem interuenisset.

80. Resp. IV. De Jure Canonico Sacrilegium cum Moniali committens Laicus excommunicatur: Clericus uero non solum Beneficio priuatur, sed etiam ab Ordine depositus in Monasterium ad penitentiam ibidem agendam detradi iubetur. Menochius de Arbitr. Jud. casu 289. n. 24. Farinacius loc. cit. n. 4. & 26. cau. Si quis Episcopus. 6. & can. Si quis Monachum. 28. cau. 27. q. 1.

81. Monialis uero, que ad Sacrilegium libere consensit, ad agendam penitentiam in actus Monasterium detradi iubetur, cit. can. Si quis Monachum. 28. & can. Si quis rapuerit. 30. cau. 27. q. 1. iuncta Nouell. 123. cap. 43. uel quod magis conuenit, ad perpetuos carceres sui Monasterii detrendenda est, c. Impudicus. 11. ead. cau. & q. Menochius loc. cit. n. 26. Farinacius loc. cit. n. 12.

82. Queritur VI. Quid sit? & quibus penis subiacet Sodomia? Ante responsum notandum, Sodomiam à Sodomia Civitate nomen habere, utpote in qua nefandum hoc uitium nolum grassabatur, aded, ut propter illud precipue tota Civitas Sodomie igne creberris delapsa fuerit conuermata. Gen. cap. 19. §. 4. H. N.

83. Resp. I. Sodomia proprie est coitus carnalis non seruata debita diuersitate sexus, dum nempe masculus cum masculino, aut femina cum femina

coit; prout cum D. Thoma 2. 2. quaest. 154. art. 1. tradit communis Theologorum, arg. c. Ufus. 14. cau. 32. q. 7.

Resp. II. Sicut olim de Jure Diuino Sodomiam poenam mortis secum traxerat, Leuitici cap. 20. v. 13. ibi: Qui dormierit cum masculo, coitu famulicos, uterque operatus est nefas, morte moriatur; ita etiam de Jure Civili Sodomia proprie talis ultimo supplicio punitur, §. Item lex Julia 4. Insuper. De publicis Iudiciis. Imò Imperatores Constantinus & Constantinus iubent, insurgere Leges, armari Jura, gladio ultore, qui sunt, uel futuri sunt rei, & l. cum vir. 31. C. ad Leg. Jul. de Adulter.

Hinc consuetudo obtinuit, ut Sodomie rei, uel 85. uivi, uel poena mortis jam punitorem cadavera igne concrementur. Farinacius quaest. 148. num. 7. Clarus §. Sodomia n. 4. quam comburendi consuetudinem obseruari mandauit Carolus V. Ordinari. Criminali. art. 116.

Praeterea Sodomiam ipso Jure sunt infames etiam ante accusationem, & condemnationem, cit. l. Cum vir. 31. C. ad Leg. Jul. de Adulter. iuncta Glossa ibidem v. Infames.

Insuper ipso Jure priuantur dominio rerum suarum, que Episcopo addiuntur c. Cum secundum. 19. de Heret. in 6. & Glossa ibidem v. Perlam. Clarus §. Sodomia n. 6. Menochius de Arbitr. Jud. casu 286. nu. 19. quam tamen poenam non ubique receptam esse, testatur Clarus loc. cit.

Dicitur autem notanter in Conclusionem num. 84. postea Sodomiam proprie talis; quamvis enim etiam improprie talem, quã uir cum femina congressit in uale proptero, seu ano, praefatis penis subiacere uelint, & variis in locis praedicti testatur Clarus §. Sodomia n. 2. Menochius de Arbitr. Jud. casu 286. 33. & seq. tamen Syluester v. Luxuria. q. 1. Azorius p. 3. lib. 3. cap. 20. q. 4. & alii probabiliter docent, hanc imperfectam Sodomiam non ordinariis, sed extraordinariis, ac mitioribus subiacere penis: arg. l. 1. §. 2. ff. de Exhered. Crim. ibi: Perfecto flagitio puniuntur capite. Ratio est; Quia etsi ad peccatum Sodomie merito reductur, indeque tanquam species distincta in Confessionali necessariò explicari debeat; tamen, quia saltem adest adhuc debita diuersitas sexus, perfecta Sodomia non est, ac praeterea penis ordinariis Sodomie non subiecta. Praeterea cum in penis benigniora amplecti debeat, per uulgaria.

Resp. III. Poena Criminis Sodomie de Jure Canonico sunt sequentes. Et quidem primo Laicus Sodomiam committens imprimis iubetur excommunicari c. Clerici. q. de Excess. Prælat. ibi: Si Laici excommunicationi subdantur, & a casu fidelium penitus fiant alieni. Secundo Laicus Sodomie est infamis, can. Infamis. 3. q. 7. Tertio potest ab eo uxor discedere sicut ab Adultero, arg. can. Omnes. cau. 32. q. 7.

Cleri uero Sodomiam committentis poena de 90. Jure communi Canonico est, ut non tantum priuetur Beneficio, sed etiam à statu, & Ordine Clericali abijciatur, cit. c. Clerici. q. de Excess. Prælat. & ibi Doctores.

Insuper contra nefandum Crimen Sodomie rigida emanauit Bullam Pius V. que incipit Horrendum, estque 72. inter Constitutiones dicti Pontificis, in Tom. 2. Bullarum Cheri. sequentis tenoris.

Pius Episcopus, Seruus Seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Horrendum illud scelus, quo polluta fœdaturque

Civitates à tremendo Dei iudicio conflogarunt, acerbissimum nobis dolorem incutit, graviterque animum nostrum commovet, ut ad illud quantum potest commendandum, studia nostra conferamus.

§. 1. Sanè Lateranensi Concilio dignoscitur constitutum, ut quicumque Clerici, illi incontinentiâ, que contra naturam est, propter quam ira Dei venit in filios diffidentia, deprehensi fuerint laborare, à Clero deiciantur, vel ad agendam in Monasteriis penitentiam decurrantur.

§. 2. Verùm ne tanti flagitii contagium impunitatis spe, que maxima peccandi illecebra est, fidentius invalescat, Clericos hujus nefarii Crimini reos, gravius ulciscendos deliberavimus, ut qui anime interitum non horrescunt, hos certè deterreat civilium legum vindex gladius secularis.

§. 3. Itaque quod nos jam in ipso Pontificatus nostri principio hac de re decrevimus, plenius nunc fortiusque persequi intendentes, omnes & quoscunque Presbyteros, & alios Clericos seculares, & regulares cuiuscunque gradus, & dignitatis, tam divum nefas exercentes omni privilegio Clericali, omnique officio, dignitate & beneficio Ecclesiastico presentis Canonis auctoritate privamus. Ita ut per iudicem Ecclesiasticum degradati, potestati seculari tradantur, qui de eis illud idem capiat supplicium, quod in Laicos hoc in exitio devolutos, legitimis reperitur Sanctionibus constitutum.

Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Domini 1568. tertio Calendas Septemb. Pont. nostri anno 3.

Notat tamen circa hanc Bullam Barbosa in c. Clerici. 4. de Excess. Prelat. ad incurrendas penas præfinitas Degradationis requirit primo, ut Clericus sæpius exercuerit Sodomiam. Secundo ut sit perfecta Sodomia. Tertio ut præcedat sententia condemnatoria, vel saltem declaratoria Criminis. De quibus amplius vide apud Barbofam loc. cit.

Cæterum quantum malitiæ, & turpitudinis sit Sodomia, vide amplius apud Theologos.

TITULUS XVII.

De Raptoribus, Incendiariis, & Violatoribus Ecclesiarum.

1. Ratio Ordinis.

Post Crimina sexto Præcepto adversa, pergit Compilator Juris Canonici ad Crimina septimo præcepto prohibita, quibus proximus læditur in bonis fortunæ, quod inter alios faciunt Raptores, Incendiarii, violatores Ecclesiarum, Fures, Usurarii &c. de quibus in presenti, & subsequentibus Rubricis agitur. Et quamvis in presenti Rubrica sit etiam sermo de Raptu mulierum, prout est species luxuriæ, nihilominus tamen, quia hic idem Raptus etiam iniustitiam, & injuriam tertii in se continet, de eodem non incongruè cum aliis peccatis septimo Præcepto adversis hic tractatur. Hiac ponitur

§. I.

De Raptu, ac Rapina, & Raptoribus, tam personarum, quam rerum.

SUMMARIUM.

2 Raptus personæ, prout est species luxuria quid?

- 3 Debet fieri cum violentia: Et num. seq.
- 4 Circa virginem, vel aliam honestam feminam.
- 6 De loco in locum moraliter diversum.
- 7 Libidinis exercende gratia.
- 8 Pene Raptus de Jure Civili.
- 9 Et de Jure Canonico statuitur.
- 10 De Raptu personæ in ordine ad contrahendum Matrimonium, Remissive.
- 11 Rapina rerum quod?
- 12 Debet fieri circa rem alienam,
- 13 Mobilem.
- 14 Fieri potest circa rem etiam minimam.
- 15 Debet autem fieri iniuste,
- 16 Et per vim,
- 17 Cum, vel sine armis.
- 18 Pene Rapina, si contra eam Civiliter agatur.
- 19 In Foro interno Raptor ante sententiam iudicis plus restituitur non tenetur, quam quod rapuit.
- 20 Pena Criminalis, si Rapina committatur cum armis,
- 21 Et sine armis.
- 22 Pena Raptorum Jure Canonico statuitur.
- 23 Pena Spoliantium bona naufragantium.
- 24 Latrones, & Gratiatores privantur insuper Asylo.

Queritur I. Quid, & quibus penis sit subiectus Raptus personæ, prout est species luxuriæ, & quid distinctum à Raptu constituit impedimentum Matrimonii? Resp. I. Raptus est violenta abductio virginis, vel alterius honestæ femine solute vel ligatæ libidinis exercende gratiæ de loco in locum moraliter diversum. Ita in re communi arg. l. 1. in c. de Raptu Virg. Explicatur definitio.

Dicitur primò violenta abductio; quia si puella sui juris, seu sub nullius amplius potestate, constituta liberè consentiat, Raptus non est, uti cum D. Thoma 2. 2. q. 154. art. 7. Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 12. n. 6. communiter tenent tam Theologi, quam Canonistæ, arg. l. Quò naufragium. 3. §. 5. ibi: Rapi autem sine vi non potest, & c. Cum causa. 6. h. t. ubi Summarius sic habet: Raptus non dicitur, ubi volens abducitur.

Nec obstat, quod dicitur cit. l. 1. in c. de Raptu Virg. 4. Hinc pene subiacet, qui sine volentibus, sine nolentibus virginibus, sive aliis mulieribus tale facinus fuerit perpetratum; quia textus hic supponit facinoram abductionis consentientem esse inductam vel minis, vel importunis & dolosis precibus, aut promissionibus vim quandam importantibus l. 1. §. 3. ff. de servo corrupti. Gutierrez Can. qq. lib. 1. cap. 37. nu. 21. & alii. Quare, nisi puella ipsamet fateatur, se absque dolo, minis, aut importunis precibus liberè consentisse abductioni, onus probandi incumbit Raptoribus, prout cum Malfcardo probat Gonzalez in c. fin. h. t. arg. cit. l. unie. ibi: §. 2. Quia hoc ipsum velle mulierum ab insidiis nequissimis hominis, qui meditatur Rapinam, inducitur; nisi etiam eam sollicitaverit, nisi odiosis artibus circumvenierit, non faciet eam velle, in tantum dedecus sese prodere.

Dicitur secundo virginis, vel alterius honestæ femine, quia abductio etiam violenta femine minus honestæ vivantis, v. g. meretricis notoriæ, Raptus propriè & strictè loquendo non est, ac propterea nec ordinariæ, sed extraordinariæ duntaxat pœne, arbitrio iudicis infligendæ subiacet. Clarus §. Raptus. n. 5. Farinacius q. 145. an. 135. Sanchez lib. 7. de Matrim. Disp. 12. n. 23. Covarruvias Variar. Resolut. lib. 3. cap. 14. n. 2. in fine. arg. l. 1. in c. de Raptu Virg.

Dicitur tertio de loco in locum moraliter diversum; quia si honesta puella vel femina non saltem ab una domo, v. g. paterna ad aliam, sed ab undantaxat cubiculo ad aliud ejuſdem domus, vel à loco

§. I. De Raptu, ac Rapina, & Raptoribus, &c.

loco patenti ad fecerem, occultandæ libidinis causâ raptur, propriè Raptus non est, sed Strup. un præcise præteritum, si ita abducta violentè opprimatur. Farinacius Prax. Crim. cit. q. 145. n. 74. Sanchez loc. cit. n. 20. Clarus §. Raptus. n. 1. dicens esse omnium, can. Lex illa. 3. cau. 36. q. 1.

Dicitur quarto libidinis exercende gratiâ; Nam si ex alia, & quâcunque causa fiat, Raptus propriè loquendo non est, nec ordinariæ pœne illius subiectus, ut cum Claro §. Raptus. n. 1. bene docet Sanchez lib. 7. de Matrim. nu. 17. Decius Consil. 234. n. 8. & alii. Notandum tamen cum Sanchez, & Claro loc. cit. quòd si quis facinoram libidinis causâ rapiat, pœnæ ordinariæ subiaceat, etſi postea ab extenplenda libidine impediatur.

Resp. II. Pœnæ Raptus propriè dicti à Jure Civili sunt lequentes, videlicet pœna Mortis, adeo ut Raptor, & omnes ad Raptum opem aliquam ferentes in ipſo Raptu deprehensi, à parente, marito, cognatis aut propinquis Raptæ imponere possint occidit: postea vero legitime convicti ultimo supplicio affici, non obstante quâcunque Reorum Appellatione. Uterius omnia bona tam mobilia, quàm immobilia Raptoris, & præbentium eidem opem ad Raptum, amittuntur, & Raptæ addicuntur. Ita expressè statutum habetur sepe cit. l. unie. C. de Raptu Virg. ad quam utpote valde longam, brevitate causa Lectorem remittimus.

Resp. III. Raptus propriè dicti, prout est species luxuriæ admixtam iniustitiam habens, pœnæ Jure Canonico statuitur sunt, quòd si Laicus sit Raptor, excommunicatur; si verò Clericus à gradu, & ordine Clericali deiciatur. can. 1. & seq. cau. 36. q. 1. & c. Si quis. 4. de Purgat. Canon.

Referunt huc aliqui etiam pœnas à Concilio Tridentino Sess. 24. de Reformat. Matrim. cap. 6. itartas contra Raptores. Verùm hæc pœnæ non contra hunc solius libidinis causâ, sed etiam Raptum videntur statuitur, sed contra illum, qui sine fine & intentione Raptum decendi in Matrimonium, ut cum aliis probabilibus docet Sanchez lib. 7. de Matrim. Disp. 13. n. 3. Layman, Gutierrez, & alii; quod idem etiam nos docimus Lib. IV. Tit. I. §. X. n. 377. in quo §. etiam reſertur de Raptu ad contrahendum Matrimonium factò tradidimus, ubi proin vide.

Queritur II. Quid sit? & quibus penis subiacent Rapina, & Raptor rerum? Resp. I. Quamvis Rapina large loquendo sumatur pro omni illicitâ usurpatione rei aliene sive occultè, sive manifestè facti, arg. can. Si quis. 10. cau. 14. q. 4. ibi: Si quis usuram acceperit. Raptum fecit. & can. Si quis. 6. ead. cau. q. 5. ibi: Si quid inventiſſi, & non reddidisti, rapuisti. Propriè tamen loquendo, Rapina est rei aliene mobilis iniusta ablatio, per vim facta. Ita in re communi, & patebit declarando Definitionis verba.

Dicitur primò Rei aliene; quia qui rem suam propriam, vel quam saltem putat esse suam, ab alio possessam auferit, Rapinam propriè non committit, nec pœnas illius incurrit, sed illas, quæ l. Si quis 7. C. Unde vi. decretæ sunt in illos, qui propriâ auctoritate violentè auferunt res ab alio possessas.

Dicitur secundo mobilis; quia res immobiles non auferri vel rapi, sed invadi dicitur §. 1. in fine Instit. de vi bonorum raptorum. Hinc invasionem patiens in bonis immobilibus non habet actionem vi bonorum Raptorum positam cit. §. 1. Instit. de vi bonorum Raptor. Sed incurritur illi per Interdictum unde vi. l. 1. ff. de Vi. & vi armata; vel per publicum iudicium legis Julæ, l. in eadem causa. 3. ff. ad Leg. Jul. de vi publica.

Ceterum Rapina circa rem mobilem committi

potest in quavis re cuſcunque etiam minimi pretus cum delicta non æstimantur ex objecto, & parvitate materic, sed pravitate affectus, & celeritate animo: prin. Instit. de vi bonorum raptorum. ibi: Etiamſi quis unam rem licet minimam rapuerit.

Dicitur tertio iniusta (alii ponunt dolosa) ablatio; quia qui rem alienam iuste & legitime violentè auferit, uti hostis in bello iusto, Officialis, vel alius auctoritate Magistratus, constitutus in extrema necessitate Civium Rapinæ utique non contrahit. Molina de I. & l. Tr. 2. disp. 683. n. 7. & alii commanitet per vulgaria.

Dicitur quarto per vim facta; quia si vis non adhibetur, sed res clam, & dolose auferitur, non Rapina, sed Furtum est. Nam per vim Rapina, dillinguitur a Furtio, prin. Instit. de vi bonorum raptor. Ob quam iniustitiam vim, seu violentiam Rapina etiam gravius peccatum est, quàm simplex Furtum, can. Penale. 13. cau. 14. q. 5. ibi: Penale est, occultum occultè auferre, multò majoris pœnæ est, visibiler eripere. Unde etiam Furtum improbius vocatur, l. Prator ait. 2. §. 10. ff. De prin. Instit. de vi bonorum raptor. eò quòd per Rapinam duplex iniustitia inferatur proximo, una in rebus, altera in persona & honore, dum rem eidem extorquendo violentia adhibetur.

Cæterum non refert, an vis armis, vel sine armis inferatur l. Prator ait. 2. §. 1. ff. ead. Imò etſi nulla vis actò inferatur, dammodo Raptore rem mobilem palam auferant, pariti vim inferre, si eis restituerit, Rapina est l. 1. §. 9. ff. ead. Farinac. Prax. Crim. q. 166. n. 31. Circa p. 2. Prax. Crim. q. 9. n. 68.

Resp. II. Pœnæ de Jure Civili contra Rapinam, & Raptores statuitur, si agatur Civiliter inter annum, est restitutio in quadruplum; ita ut præter rem ablatam eandem in triplo adhuc pretii, vel estimationis compensare post annum verò, non nisi ipsam rem Rapinè ablatam, vel ætimationem illius unâ cum restititione lucri cessantis, & damni emergentis restitueri debeat, prin. Instit. de vi bonorum raptor. ibi: Iſt intra annum quadrupli, post annum simpliciter, concordat l. 1. ff. l. 2. §. 13. ff. ead. ac l. 2. datur etiam actio contra raptorem facti.

In Foro conscientie tamen Raptor ante sententiam Julicis plus, quàm rapuit, restitueri non tenetur, uti cum D. Thoma 2. 2. q. 62. art. 4. in corpore. habet communis Theologorum, post sententiam tamen tenetur eidem acquiescere.

Resp. III. Si agatur Criminaliter contra Raptorem rerum, dillinguendum est, an cum vel sine armis Rapinam commiserit; si cum armis rapuit, pœnam Capitalem incurrit l. penult. ad Leg. Jul. de vi publ. & Ordinat. Caroli V. art. 126. que pœna vel maxime procedit in Grassatoribus, & Spoliatoribus itinerantium, qui, si pœnæ Rapinam etiam vulnerant, torquent, vel occidunt, Rote supplicio; si simpliciter rapiant, solo capite plectuntur, uti habet citata Constitutio Carolina art. 126. 130. & 137.

Si verò sine armis Rapina committitur, pœna illius est amissa tertie partis bonorum, dignitatis item & honoris, unâ cum infamia, s. Item Lex Julia. 8. Instit. de publ. Julic. l. 1. prin. ff. de vi publica. sancta l. 2. C. eod. Ordinatio tamen Carolina Raptores indultis gladii, vel aliâ mortis pœnâ juxta loci consuetudinem alſi iubeat art. 126.

Resp. IV. De Jure Canonico pœnâ Raptorum est Excommunication inferenda ab Episcopo loci, ubi Rapina committitur, etſi Raptor sit clericus Diocesis, à qui absolvi etiam à proprio Episcopo non potest, nec recipi ab eo, sed ad Episcopo excommunicationem remitti debet, nisi plenè satisfecerit, c. 1. h. t. Quod si Raptor in ipsa Rapina moriatur, vel faciaſcere nolens decedat,